DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA,

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XX. DECEMBRIS.

M. NICOLAO ROBIN, Doctore Medico, Moderatore.

An Hydropi pectoris, Sectio?

IN Hydrope fit properè diſcrimen, quod tarda aliquando calamitas claudit. Vt in acutis bis peccare non vacat, ſic ſæpè ſæpiùs ſerò nimis Medicina paratur. Ne fidas hoſti inteſtino, vltimam quamprimùm perniciem intulit, nec ei parciturus qui pepercerit. Quò tamen nobiliora inquinarit exta, eò citiùs de natura triumphat. In locis lentè ſæuit; in abdomine periculum ex mora ducit; in capite capital eſto: ſed in pectore quò grauius præſentiuſque periculum, eò magis celocem operam poſcit non corbitam. Sublatâ reſpiratione perit vita, cohibitô ſpiritu citô citiùs fugit; nec enim vna ſufficit hyſtericis ἀζηνοή, quæ inſectis pro vitæ modo ſatis eſt: at perfectis animantibus viuere idem ac ſpirare, animamque protinùs agere videntur, quum non agunt. Quantò cæteris grauius malum, illam ægriùs ducere, quum vitæ lares inundant aquæ, plenumque pectus ſpatia artat agitandæ irrequietô motu flammæ vitali deſtinata.

VERVM priuſquam operi manum admoueas, ſiſte pedem, agnoſce morbum, & quod Aquileges præſtant, latentes aquas vno digna artifice τεκμάρσει explora diligenter; etenim in internis morbis ac in hydrope pectoris maximè, errorem inducunt ſimilitudines. Num indictus ideò antiquis fuit omnibus præterquam Seni? Aut quia rarior affectus, nec Græco ſuppar igni in corde τὸ ζώπυρον. Satis herclè liquidò prodit ſubdolæ indolis maleficium impeditior dyſpnœa, interpellatura quietem vnicum afflictis viribus ſolatium; à qua miſelli cum luce reuiuiſcunt ruptis ſubſidente ſpumâ coctioris pituitæ repagulis. Quæ enim ſpes recreat vbi ſomnus laborem parit, feſſaque dat æger membra tortori potiùs quam ſopori? erudito periculo protinùs auertendum periculum: ne ſis ideò ſollicitior an indigena, vel aduena fuerit ἰχὼρ ille ὑδρωποειδὴς? An viſcerum nutritiorum χαλεπωτέρας ἔχον? Vel coquentis naturæ ignauiâ, indiligentiâ excernentis, vel errore imprudenti aliò deportantis. Qui ſemper Hepar reum hydropis facit, ejus immeritò læſi muneris ſæpè reus ipſe venit accuſandus, & cum Pythagora traducendus Atriplicis πόσις injuſtus accuſator.

HYdropas vtricularios ſeu ventris ſiue pectoris, vt & ſuppuratos ſecare, non magis nouum eſt quàm noua Medicina; etſi nonnunquam ſeueræ innocentiſque artis fiduciam vicerit mollior ſæculi conſuetudo, & in ægri verſa perniciem indulgentia præſentanei auxilij. Hæc vna & ſolida eſt gratia, quam Natura neſcit, vni artifici debes? In Aſcite ſi manum abſtinueris, nec auſis ferro pertundere aqualiculum; at non ſine veterum exemplo tum feceris viam ſummâ malleolorum cute vulnuſculis ſauciâ. In pectore verò vitæ inimicior laribus, oſſeoque vallo tutior ſeri colluuies exantlari omninò nequit, ni deſubitò thoracis clauſtra ferro perfoderis, etiam non præeeunte pyrotico. Ecquid enim eſt operæ pretij, ſic vſtulare laborantem, aut præſidij morâ (quæ ſeri quàm puris funeſtior) diem diffindere? Puncto ſecuritas conſtat, poſticò inter quartam quintamue coſtam ferrum audacter adige, facto penetrante vulnere per interjecta τῶν μεσοπλευρίων ſpatia; at ſic temperes manum, vt muſculorum fibris & vaſis minimùm noceas.

CAVE tamen ſit conſcia temeritatis celeritas. Hinc Scylla, illinc Charybdis quam fugias. Medium ſi tenueris tutiſſimus ibis. Ni enim αὐτίκα ſuccurarur dum viſcera inteſtinâ labe vacant, oleum & opera perditur, perit naturæ vigor qui magna potentia ſolus, vtilemque aliàs operam ſecuta fata infamant. Citò aggredi decet, at vacuare partitò, benè memorem non ſolùm integrô ſanguine, ſed putri etiam ichore & tabô vitam ſuſtineri. Vt purpuream vomunt animam ῥηγματίαι, ſic plurimâ ſanie confertim effuſâ expirant τρωματίαι. Adeò miſerum vitam debuiſſe morbo, viſaque ſæpiùs funeſtior alieni ſeri, quàm benigni humoris vacuatio.

SIC, quam vrget hydrops opem, vitæ ſtudium ſufflaminare debet: fruſtra es ſi tibi aliæ quæruntur artes, quibus res ægri in vado collocentur. Fruſtra ſero exhauriendo vacauerit infelix Diatritariorum opera. Suas adhibuerint Communitates Methodici. Μετασυγκριτικὴν ἀγωγὴν Empirici induxerint. Sic reliquum illi omnes naturæ fundum dilapidant, fraudant genium, majore vi aquarum præfocare vitalia imprudentiùs ſatagunt. Ficulneum etiam in Purgantibus præſidium, in Mochlicis venenum plurium doctus periculis protinùs experiére; vix vlli quippè ſalutaris vſquam extitit alui proluuies. Perirrhœa inſolentior quidem, at potior votis. Omne vna feret punctum Sectio, quæ ſecuritati addit gratiam jucundæ celeritatis, certæ & inoffenſæ valetudinis Soteria.

Ergo Hydropi pectoris, Sectio.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Baptiſta Moreau, Reg. Prof.
M. Euſebius Renaudot.
M. Iſaac Renaudot.
M. Antonius Morand, Decanus.
M. Ioannes Hamon.
M. Simon Boulot.
M. Claudius Lienard.
M. Petrus de Beaurains.
M. Franc. Guenault, Antiquior Scholæ Magiſter & Reginæ Chriſtianiſſimæ Archiater.

Proponebat Lutetiæ HIPPOLYTVS DV VAL, Pontiſaranus, A. R. S. H. M. DC. LXIII.